

deputatorum subsidio in Alamaniae partibus per sedem apostolicam deputatus recognoscimus publice et protestamur, nos habuisse et recepisse a venerabili viro domino Alberto praeposito sancti Thomae apostoli in Lipz Mersburgensis diocesis octo marcas Stendeliensis argenti, quas dedit pro supplemento totius neglectae decimae sui monasterii et ad purgationem suae conscientiae, de quibus eidem recipienti nomine suo et sui monasterii nomine domini papae, Romanae ecclesiae et terrae sanctae facimus finem et quitationem perpetuam et pactum de ulterius non petendo, et eum et suum monasterium ab impetitione totius neglectae decimae nomine quo supra in posterum absolvimus et liberamus, et si quam excommunicationem occasione dictae neglectae decimae incurrit, eum absolvimus et super irregularitate si quam contraxit divina officia celebrando vel se immiscendo eisdem misericorditer in nomine domini dispensamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum Magd. anno domini M^o. CCC^o. III^o V^o. Kal. Septembris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An einem von der Urkunde z. Th. losgetrennten Pergamentstreifen hängt das Siegel mit Rücksiegel.

No. 59. 1304. 8. Sept.

Landgraf Dietrich erklärt seine Zustimmung zu der Schenkung der Gertrudis Wittve des Bürgers Hermann gen. von Grimma und zu der Eigenthumsübertragung an das Kloster. Vgl. No. 57.

In nomine domini amen. Theodericus dei gratia iunior lantgravius Thuringorum, Orientalis marchio, dominus in Greuzth universis Christi fidelibus vitae praesentis et futurae salutis et prosperitatis continuum incrementum. Actio modernorum pia et laudabilis duratura, ut a labili hominum memoria non excidat, sed futurorum mentibus inprimatur perenniter permansura, sapientum dietitavit providentia ut litterarum inprimatur apicibus, sic ut ex earum inspectione successores discant et videant facilius et agnoscant, quid per eorum antecessores extiterit ordinatum. Noseant ergo vitae praesentis homines et futurae, quod Gertrudis relicta Hermanni dicti de Grimmis civis in Lipzk, cum Petrum filium suum ordini canonicorum regularium ecclesiae sancti Thomae ibidem Lipzk ad serviendum domino obtulisset, dicta Gertrudis de consensu et voluntate filiorum eius videlicet Johannis et fratrum suorum nec non Rudegeri de Basilea manentis Lipcz medium mansum situm ante valvam sancti Petri Lipzk iuxta foveam arenae, adiacentem bonis illorum qui dicuntur Bech et unam curiam sitam Lipzk, quae quondam fuisse dicitur domini Alberti dicti de Ruswin, quam a progenitoribus nostris tenuit et possedit liberam et exemptam a custodiis, a vigiliis, ab exactionibus, quae in Lipzk fieri consueverunt, haec etenim iure hereditario praedictos Gertrudim et eius filios contingentes Gertrudis dedit et obtulit praefatae ecclesiae sancti Thomae in Lipzk perpetuo possidendos, abrenuncians pro se et pro suis pueris omni iuri quod habebant et habere poterant in praedictis. Nos et enim piis monitis et exhortationibus saepe dictae Gertrudis salubriter inclinati ipsius precibus annuentes donationem et resignationem in praedictis ab ea factam ratam et gratam admittimus et concedimus ipsam ex libertate nostri domini dictae ecclesiae sancti Thomae appropriatam et propriam in ipsam transferimus proprietatis